Cum DEO!

SCRUTINIUM RELIGIONUM:

Sive

EXERCITATIO THEOLOGICO-HISTORICA,

De

Religionum Orbis

Univerſi terrarum Varietate in communi: & in ſpecie, qvod una ſola Chriſtiana, & præſertim Evangelica ſit vera: & qvàm anguſtis illa hodie coërcita ſit terminis, &c.

Autore

ANDREA SENNERTO, P.P.
in Academ. VVitteberg. Ejusdemq;
Seniore.

WITTEBERGÆ,
In Officinâ Fincelianâ excudebat Michaël Meyer,
Anno M DC. LXIX.

Digitized by Google

Actor. XVII. v. 26.

DEus fecit ex uno ſangvine omne genus hominum, ut habitaret ſuper univerſâ facie terræ, definiens præſtituta tempora & terminos habitationis eorum, ut qværerent DEum, ſi fortè attrectent & inveniant eum, &c.

Cum DEO!

SCRUTINIUM RELIGIONUM:

Sive

De Religionum Orbis Univerſi terrarum Varietate in communi: & in ſpecie, qvod una ſola Chriſtiana, & præſertim Evangelica ſit vera; & qvam anguſtis illa hodiè coërcita ſit terminis, &c.

SUMMARIUM.

REligionis ſumma genera qvatuor: Judaiſmus, Ethniciſmus, Chriſtianiſmus, Mohammediſmus. SECTIO I. Judæi. Palæſtinæ deſcriptio. Genera vel ſectæ Judæorum. Patres primi, ante- & poſt diluviani. Præcepta ſeptem filiorum Noæ. Judæi γνήσιοι. Jeroboamitæ. Samaritani. Heliopolitani. Naziræi. Proſelyti. Phariſæi. Sadducæi. Eſſæi. Karræi: Cabbaliſtæ. Moderni. SECTIO II. Ethniciſmus ſive Gentiliſmus. Antediluviani. Poſtdiluviani. Orbis terrarum dividitur (mente) in qvinq; æqvales partes. Gentiles hi barbariq; tres integras occupant.

cupant. Qværnam illæ. Qvæ & qvalis illorum de Deo notitia, itemq; cultus. Cultores malorum Spirituum. Colunt alii demortuos majoresqve ſuos: eorundem varietas & diſtinctio. Alii Cœlum, ſolem, lunam, ſtellas: elementa: animalia: vegetabilia: non-entia. SECTIO III. Chriſtiani. Nomen unde trahant? unam, juxtà computum ſuperiorem, Orbis terram partem excolunt hodiè. Qværnam hæc? Genera ſ. Sectæ Chriſtianorum. Chriſtiani γνήσιοι veteresq;. Ariani & Photiniani. Eorundem errores & ſcripta hodie qvædam. Latini ſeu Pontificii: Eorundem ordines præcipui. Græci, hodierni maximè. Eorundem doctrina: incolatus. Evangelici ſ. Lutherani vel A.C. Socii. Horum Symbolicus liber. Schiſmata. Evangelici γνήσιοι. Interimiſtæ. Flaciani. Oſiandriſtæ. Majoriſtæ. Haſſiaci & Tubingenſes. Rathmanniani. Calixtini. Syncretiſtæ. Reformati ſive Zvvinglio-Calviniani. Horum errores qvidam. Scripta nonnulla. Sectæ ſive genera. Fanatici. Eorundem *Sectæ* diverſæ. Scripta. SECTIO IV. Mohammedani: Nomen undè? Unam item juxtà computum ſuperiorem Orbis terrarum occupant partem. Qvamnam? Religionem qvà ratione propagent ſuam. Principium Religionis Alcoranus. Qvalis liber. Interpretes ejus diverſiſſimi. Sancti q. vel Patroni. Eorundem cultus. SECTIO V. Una, ſola Religio Chriſtiana & præſertim Evangelica eſt vera. Probatur idem diverſimodè. SECTIO VI. Eadem anguſtis oppidò perqvàm coërcetur hodiè terminis. Qvod itidem probatur, inductione fultâ, ut loqvuntur. Concluditur: grex verè parvus verè Chriſtianorum.

TRA-

TRACTATIO.

§. 1.

ORbis univerſi terrarum habitati cognitiq; hodiè hac Exercitatione præſente daturi Delineationem qvalemcunq, qvantum Religionis negotium (α): dicimus, qvod Ejus genera ſumma ſive potiſſima inde ab Origine hujus Univerſi ſint fuerintq; *Qvatuor. Judaiſmus* primum (ad qvem,& rectè, referimus etiam religionem Patriarcharum vel Patrum primorum, & ante- & poſtdiluvianorum, uti mox dicetur)hinc *Ethniſmus*, *Chriſtianiſmus* deinceè, & deniq; *Muhammedaniſmus*. Hisce qvippe qvadrigis qvaſi, id negotii qvantumcunq, illud ſit,vehitur abſolviturq;.

SECTIO I.

De

JUDAISMO.

§. 2. Jam,primo igitur Judæi (oriundi ipſi à primis Patribus ante & poſtdiluvianis, illis qvos qvidem adeò, ut modò diximus,annumeramus) incoluerunt olim Palæſtinam ſ. Judæam,vicinaq; ejusdem loca qvædam, Aſiæ regionem nesisſimam,parvum terrarum Orbis tractum, in umbilico qvaſi Orbis citra & ultra Jordanis flumen ſitum: ab Occidente inter mare mediterraneum, ab Oriente Syriam & Arabiam,vel potius montana Libani, Hermonim, Gilaad & Abarim,à Septentrione Phœniciam, à meridie Ægyptum,Idumæam & deſertum Pharan: longum circiter 4[illegible] latum verò 16.vel 18 milliaria germanica,qvondam & terram Chanaan,à Chanaan filio Chami, terram promiſſionis vel promiſſam, Iſrael & Sanctam appellatam: diviſam olim in citra & ultra Jordaninos tractus; illi mq; citraqve [illegible] Judæam, Samariam & Galilæam, inferiorem qvidem hanc & ſuperiorem, hunc, ultrà qvi

eſt, in Trachonitin & Peræam. Atq; parvum hunce tractum Judaiſmus olim ſive Judæi veteres incoluerunt. Hodiè verò qvi vivunt verpi nullum prorſus, qvi qvidem proprii juris ſit aut poſſeſſorii, homines vagi, profugi, qvà patet Orbis & Orcus. Affirmare qvippe auſim, nullam Orbis terrarum habitati partem, nullam mundi plagam vel regionem eſſe, populum fermè, fermè dico, nullum, qvin non admixti ſubjectiq; item Judæi ſint: reproba hodienum gens numeroſa, ſine lege, ſine rege, juxta maledictionis verba Devter. XXVIII. & alibi pasſim.

§. 3. Enimverò nunc, Genera Judæorum (Sectæ vulgatô nomine) ſunt porrò fueruntq; hæc ferè: Patres primi, ante- & poſt-diluviani, Iſraëlitæ ſ. Judæi γνήσιοι, Jerobeamitæ, Samaritani, Heliopolitani, Naziræi, Proſelyti, Phariſæi, Sadducæi, Eſſæi, Karraitæ, Cabbaliſtæ, modernorumq; fex promiſcua.

§. 4. Principuò *Patres*, dico, *primi*, ante- & poſt-diluviani qvorum catalogus texitur Breſchith ſ. Geneſ. cap. V. & XI. ſeqq. Annumerantur autem rectè, ut ſuprà jam dictum, Judæis, cùm ratione Genealogiæ ſive proſapiæ, tum doctrinæ communis. Qvamvis enim Torah, Lex qvidem (Canon Judæorum) lata promulgataq; ſolenniter (veluti repetita) tunc nondum eſſet, nec de Meſſia (Servatore mundi) doctrina enucleatiùs, ut poſteà, per omnes circumſtantias tradita, lege vivebant tamen, vivebant dico, ut nunc, credebant Prot Evangelio, traditiones habebant qvasdam non-ſcriptas, v.gr de SS. Triade, de Creatione hujus Univerſi, de ſeptimo die ſanctificando, de paradiſo, de lapſu primorum parentum, peccato originali & actuali, de ſacrificiis immolandis, alia: Ut nihil hic qvicqvam dicam de Præceptis ſeptem, qvæ vocant, filiorum Noa (qvorum qvamqvam lex jam Adamo data tradunt) ipſis illis & ne-

ceſſarie

ceſſivè poſteris illorum data propoſitaq;, inſititia tum poſtea ex parte Decalogo, & recenſentur apud Talmudicos hac qvidem, in Talmud, Maſſechet ſive libro סנהדרין Cap.VII.fol.56.& in Jalkut (Comment. Bibl.) ad Gen.c.II. Primum: ברכת השם *Benedictio DEI*, ut nempè laudes Ipſi dicerent precesqve funderent. Secundum: עבודה זרה *cultus alienus*, ne Idolis ſervirent ullis. Tertium: דינין *Judicia*, ut Juſtitiam adminiſtrarent publ. privatimq;. Qvartum: שפיכות דמים *effuſio ſangvinis* neqvod patrarent homicidium: Qvintum גלוי עריות *revelatio nuditatum*, ne vagis contaminarentur libidinibus: Sextum: גזל *rapina*, ne alienum appeterent invaderentq;: & deniq; ſeptimum: אבר מן החי *membrum de vivo*, ſcil. animali, ne tollerent. Hactenus traditio Talmudica.

§. 5. *Iſraelitæ* ſeu Judæi γνήσιοι ſeqvuntur ordine: qvorum qvænam Fides vel Religio fuerit, ex Torah ſive Lege, & reliqvis libris Biblicis V.Inſtrumenti rectius cognoſcitur.

§. 6. *Jeroboamitæ* porrò: qvorum ſchiſma atq; idolomaniam proſeqvitur in ſpecie, I. Reg.liber cap. XII. XIII. & XIV.& 2.Chronicor. Cap. X. XI.& XII.

§. 7. *Samaritani* ſuccedunt illis. Qvorum qvantumvis Religio mixta erat ex Judaiſmo & gentiliſmo, attamen huc referre eos volui debuiq; fortè, qvia ethniciſmo mero vel ſoli non erant dediti, ex Judæis item oriundi partim, vel etiam in eorundem translati locum, ac tandem in horum medio ſimul habitabant, Samaria viciniſq; locis: de qvibus videndum 2 Reg.cap.XVII. ut nihil hic dicam de Samaritanis & illis ſeqvioribus temporibus poſt captivitatem Babyl. ac religioſis horum, qvibus templum erat in monte Garizim, prope Samariam, nec non Sacerdotium peculia-

re,Sa-

re, Sacerdos verò Manaſſes, Jaddi pontificis ſummi frater, per omnia non abſimilia hæc cultui Jeroſolymitano, durantia per integros ipſos annos 200. De qvo vid. Fl. Joſeph. Antiq. Jud. Lib. XI. cap. 8. (β)

§. 8. *Heliopolitani* nunc Samaritanis ſuccedunt. Hujus generis, & templi, & cultus peculiaris, & ſectæ (Hieroſolymitanis non abſimilium vicisſim) author extitit Onias, Oniæ III. cognomento pii, Pontif. Max. filius, ex conceſſione qvidem, regnanteq; Ptolomæô, Philometore, Ægypti Rege, & Cleopatrâ reginâ: exædificatô ſcil. templô Jeroſolymorum non abſimili, pro Judæis Ægyptiis, in ducatu Heliopolitanâ prope Memphin, adductus, confirmatusq; qvantum ſeſe, loco Jeſaiæ prophetæ, cap. XIX. Qvo de videndus iterum Fl. Joſeph. antiq. Jud. lib. XII. cap. 15 lib. XIII. 6. & de bello Jud. Lib. VII. 37.

§. 9. *Nazirei* ſeqvuntur. Qvi qvidem ſectarii propriè non fuerunt, ex voto tamen peculiari diſtincti ſeparatio & ipſi à reliqvis aliisq; Judæis. נזירים: qvippe eſt à themate נזר *ſeparavit*. Erantq; alii nativi, qvi alienâ deſtinatione fiebant tales, qvalis Simſon, ex. gr. Jud. XIII. alii [illegible] erant, qvi per propriam deſtinationem & voluntatem ſeipſos ſeparabant. De qvibus vidend. Numer. cap. VI. (γ) Hujus generis in ſpecie erant qvoq; Rechabitæ, de qvibus Jerem. cap. XXXV. alibi.

§. 10. *Proſelyti* illos excipiunt. Hi qvidem apud Judæos erant gentiles, qvi ex paganiſmo ad Judaiſmum convertebantur. Judæi adeò non nati, ſed facti. Ebræis גרים *peregrini.* q. d. alienigenæ. Qvorum illi qvi ex Græcis, [illegible] in ſpecie vicisſim dicebantur. De qvibus atq; varietate horum videndus præ aliis hodiè Buxtorfius in Lex. Talm. Rabb. in rad. גור. (δ)

§. 11. *Phariſæi, Sadducæi, Eſſæi* his ſuccedunt. De qvorum origi-

originibus, doctrinâ, authoritate, potentia, diſtinctione [illegible] Joſeph. antiq. Jud. lib. XIII cap. 9. & 18. lib. XVIII cap. 2. de bell. Jud. lib. I. cap. 4. præſertim verò lib. II. cap. 12. Buxtorf. in Lex. rad. פרש, alii plures. (ε)

§. 12. *Karraitæ* ſeqvuntur vel Karræi; qvæ ſecta vel hodiè maximè reperitur in Polonia, Ruſſia & Turcia, & vivit vivenduq;, ducit totum ſecundum legem ſcriptam, qvam exactiſſimè in minimis etiam obſervat (minimè verò juxta Legem oralem) qvemadmodum etiam qvondam e parte Sadducæi fecerunt, ut eſt apud Joſephum, antiq. Jud. Lib. XIII. 18. Conf. iterum Buxtorf. in Lex. rad. קרא adde Hottinger. theſ. phil. lib. I. cap. 1. ſect. 5. membr. 9. pag. m. 40. ſeqq. (ζ)

§. 13. *Cabbaliſtæ* contrà ſ. Cabbalici vitam inſtituunt maximè ſecundùm Legem Oralem, Cabbalica, & in Talmude qvæ comprehenſa tenentur. (η)

§. 14. *Modernorum* tandem *fex promiſcua* agmen claudit Judæorum, adeoq; Judaicæ religionis Cultorum. Hi לועזים *Barbari* ferè communiter appellantur hodie: (ϑ) reſpectu habitô ad אנשי ארץ ישראל Viros terræ Iſraël, h. e. qvi in Palæſtina qvondam habitabant, poſt excidium Jeroſolymorum: item אנשי בבל Viros Babel ſ. Babylonios, qvi in Babylonia, & יהודים מצריים Judæos Ægyptios: de qvibus ex parte ſuprà dictum. Cæterum, hiſce in communi, ut notum, ſpretô JESU Chriſto, unicô Servatore Mundi, poſt Legem veterem, Talmud pro principio fidei atq; religionis eſt [illegible]. Qvo de [illegible]. At; tantum de Judaiſ, ſectisq; eorundem diverſis [illegible], adeoq; ſummo genere ex primis Religionum Orbis totius terrarum.

SECTIO II.

De

ETHNICISMO.

§. 15. Succedit in ordine Ethniciſmus ſ. Gentiliſmus, atq; adeò Ethnici, poſtdiluviani maximè. Qvamvis enim ante cataclyſmum univerſalem illum obtinuerit jam qvidem etiam Gentiliſmus non parùm (Barbariſmum alii aliiq; indigitant) qvemadmodum haud obſcurè innuit Moſes, lib. ſui I. cap. IV. com. 16. ſeqq. cap. VI. v. 1. ſeqq. cum qvibus conferri poterat Eſdræ apocryphus liber IV. cap. 3. comm. 7. ſeqq. attamen de poſtdiluvianis, Noæ filiorum poſteris, nobis hic ſermo maximè eſt. (Scythiſmum alii aliiq; etiam vocant: Epiphan.) non excluſis interim illis etiam barbaris ex familia Semi, qvorum non pauci qvoq; à verâ Religione veriq; Dei cultu erant alieniſſimi, ut proclive eſt judicare ex Geneſ. X. 21. ſeqq. cap. XXXI. 19. ſeqq. Joſ. XXIV. 2. & ſeq. (1.)

§. 16. Atq; tenuere hi, Ethnici inqvam, ſ. Gentiles, olim atq; nunc maximum ſemper Orbis terrarum Univerſi tractum. Hodiè nimir. ſi Orbem habitabilem in Qvinqve æqvales dividas mente partes: (non illas qvidem continentes æqvè ſ. contigvas ſibi, ſed collatas inter ſe proportionatasq; in vicem) Orbem ſi habitatum, inqvam, dividas in Qvinq; æqvales partes, tres illi obtinent integras, imò plus ultrà: totam ſcil. primò ferè Americam, exceptis pauciſſimis oppidò locis, qvæ hodie tenent excoluntqve Hiſpani, Galli, Angli, Batavi, alii forte: hinc Africam dimidiam, maximè illam, qvæ extrema atq; meridionalior nobis eſt, & alluitur concluditurq; Oceano Orientali nec non Æthiopico ſ. Occidentali: cui addes regna Congo, Gvineæ, Numidiæ ſ. Biledulgerid hodiè: porrò Aſiam & ipſam dimidiâ ſui parte, nominatim Indias [illegible]

intra

intra & extra Gangem) paucis hodiè exceptis, de qvibus videndus nobiliſſ. à Mandelslo, in Itinerar. ſuo. Chinæ regnum ampliſſimum, cum inſulis adjacentibus perplurimis, Tartariam ex parte, Aſiaticam maximè. deniq; Europæ ſeptentrionalis extremæ partem etiam aliqvam e. gr. Finmarchiam, Lapmarchiam, Lapponiam, Islandiam, Groenlandiam, Novam Zembliam &c. qvibus Livonos & Samojetas qvosdam addit Clariſſ. Olearius in Itinerar. ſuo (x)

§. 17. Enim verò, coluerè coluntq; adhuc hodie *pauciſſimi gentilium Verum DEum*, qvantumvis & ipſi non ex vero. Etenim, licet qvidem anticipatam qvandam, ut ſic loqvar (h.e. ſine doctrinâ & inſtitutione) notitiam de DEO, habuerint habeantqve adhuc hodiè omnes homines: qvod experientia teſtatur: omnibus qvippe innatum hoc eſt, ut habet Tullius, ſapiens ethnicus, & animo qvaſi inſculptum, eſſe DEum; qvanqvam (licet habendum ſciant) qvalem tamen habere deceat & qvô cultu reverendum, ignorent. Porrò, qvantumvis indubitatum hoc qvoqve ſit (qvod de extantioribus ex priſcis ethnicorum ſophis omninò verum eſt) qvoſdam ſub infinitâ illa Deorum multitudine, unum tantum agnoviſſe coluiſſeq; DEum, atq; adeò paucos, paucos dico oppidò licet, agnoviſſe agnoſcereq; adhuc DEum, ut DEum verum, hoc eſt, Creatorem cœli & terræ: qvod de Peruvianis nonnullis hodieq; adhuc experientia teſtatur, qvi Pachnya Chiachalik illum vocant, h.e. ut jam dictum, Creatorem cœli & terræ: videndus præ reliqvis Joſeph. Acoſta rer. Americ. Lib. V. cap.4. Cultu imò atq; inſuper adhibitò etiam interiore magis animi, ut par eſt, qvam externo per ſimulacra vel imagines: qvod de Perſis qvondam Herodotus [illegible] Strabo, de Romanis Plutarchus, de Germanis Tacitus jam

 obſer-

obſervarunt adſeruntq;. Attamen, inqvam, illum verum Deum non coluere coluereqve ex vero, h. e. juxta præſcriptum Dei verbum, ſed vani facti in ratiocinationibus ſuis, Romanor. I. 21. vano falſiſſimoqve, prout alii aliiq; horum vel malo vel proprio ducebantur ducunturq; alius genio ingenioq; ſuo. (λ)

§. 18. Inſuper adeoq; alii porrò aliiq; horum, perplurimiq; hi, *malum Spiritum* venerantur: qvod de Mexicanis hodie, qvi Hoizli Pochtli eum vocant, item Indis Oriental. Benjanis maximè, qvi Pagode eum, Amboinis, qvi Lenthila, teſtantur iterùm Acoſta, lib. cit. cap. 2[illegible]. & Hieron Benzo, de Indiis Occidental. lib. I. cap. 25. no[illegible] à Mandelslo in Itiner. ſuo lib. I, cap. 37. lib III. p. [illegible] non laudatus & ipſe Dn. Olearius in Itiner. p[illegible] à qvo crimine nec Græci nec Romani veteres per omnia immunes fuerunt. (μ)

§. 19. Alii porrò *demortuos majoresq; ſuos* deveneati ſunt, in numerum relatos abs ſe Deorum, q[illegible] olim Sapientiæ liber, cap. XIII. XIV. XV. numero [illegible] ro fere (ν) adeò ut Auguſtinus, de Civit. Dei, lib. XVIII. cap. 81. ſuo jam tempore aſſerat numeratos Deaſtros [illegible] ſexies mille: imò antiqviſſimus Poëtarum Heſiodus [illegible] jam canat Εργ. α.

Τρὶς γὰρ μυρίοι εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πελυβοτείρη

Et ne qvem Deorum forte prætermitterent, complexi omnes ſunt hoc uno titulo, Deorum ignotorum [illegible] rumqve, aris illis poſitâ cum hac inſcriptione: *Diis Aſiæ, Europæ & Libyæ, Diis ignotis & peregrinis.* [illegible] Paulus teſtatur ex parte Actuum cap. XXVII. 23. Athenienſes ſcil. illa θεῷ ἀγνώστῳ, arâ huic cum hac inſcriptione extructâ.

§. 20. Cœterum, ex noti nominis Deaſtris [illegible]

ciebant

ciebant alios nuncupabant (*i*) majorum, alios minorum gentium (qvi & conſentes & indigetes) alios cœleſtes, inferos terreſtres, aqvaticos: alios municipales, (qvi & patrii vel urbani) penates, ſelectos &c. E qvibus præcipui extiterunt, ut notiſſimum eſt: Saturnus, Jupiter, Juno, Neptunus, Tethys, Ceres, Bacchus, Diana, Mars, Mercurius, Apollo, Minerva, Venus, Veſta, Pluto, Proſerpina, Minos, Vulcanus, Hercules, Pan, alii. (*k*) In ſacris reperiuntur אלהים Idola: Baal, Baalim & Aſtharoth, Jud. II. VIII. X. capp. alibi: Molech ſive Moloch, Levit. XX. 1. Reg. XI 2. Reg. XXIII. Chamos & Milcom. 1. Reg. XI. Gad & Meni, Jeſa. LXV. Sicchuth & Chium Amos V. qvod poſterius Lucas Actor. VII. per ῥαιφάν interpretatur.

§. 21. Alii porro *Cœlum, Solem, Lunam, ſtellas, ignem aqvam, aerem, terram* colebant coluntq; adhuc conf. iterum Sapientiæ lib. cap. XIII. ab init. Qvod de Perſis item, qvi Solem qvondam ſub nomine Mithræ venerabantur, verum eſt. item Chaldæis, & viciſſim Perſis, qvi ignem, hodieq; Peruvianis Tartarisq; nonnullis, Cheremiſſis præſertim, aliisq;. (*o*)

§. 22. *Animalia* alii præterea reverebantur, Ægyptii v. gr. boves, eqvos, ibes, accipitres, aſpides, crocodilos, canes, lupos, feles, ſcarabæos, hircos, ichnevmones, alia. Qvem in modum reperiuntur viciſſim in ſacris, Idolum Dagon, (דָּג Piſcis autem eſt Ebræis) in libr. Judicum & 1. Samuelis, alibi: Nergal (gallina ſylveſtris, juxta qvosdam [illegible] idolum Chuthæorum, 2. Reg. XVII. Aſina (hircus ſylveſtris, ut volunt,) Hemathæorum, ibid. Anamelech, (eqvus, ibid. Sepharvajim,) ſpeciem habens pavonis) ibid. &c.

§. 23. Alia deniq; his viliora multò venerati ſunt alii aliiq;: *Vegetabilia*, v. gr. allia, cepas, ſimiliaqve

his,

his, Peluſiotæ ex. gr. in extremis Ægypti finibus populi, de qvibus eleganter Juvenalis:

Porrum & cæpe nefas violare & frangere morſu.
O ſanctæ gentes, qvibus hæc naſcuntur in hortis
Numina

ac ſummatim:

Qvicqvid humus, pelagus, cœlum mirabile ſignant,
Id dixere DEos, colles, freta, flumina, fontes.

rectè canit Prudentius.

§. 24. Ridiculum eſt, ut & hoc ſaltem adhuc addam, qvod affertur ab aliis aliisqve, *de Diis atq; Deabus qvi rei familiari cenſebantur præeſſe*: Marem fœminamq; jungentibus v. gr. invocabatur Hymenæus, Thalaſſius, Jugatinus. Domum ducturus nuptam, invocabat Domiducum: utqve illa nupta in domo eſſet, Deum Domitium, & ut cum viro maneret Manturnum precabantur Deum. De Dea Virginenſi, Deo Patre Subigo ac Dea matre Prema, Dea Partunda, Priapo, Dea Mena aliisq; pudor prohibet dicere. Infantium victui Victuam, eſcæ Edinam, potui Potinam & Potuam, Cuninam cunis, Ruminam vel Rumiam mammis præeſſe nugabantur. Cubam, ut rectè cubarent parvuli precabantur, ut viverent, Vitumnum, ut ſtarent Statilinū, ut fari auſpicarentur Ajum, Locutium & Fabulinum fabulabantur: & qvæ ſunt ſexcenta his alia Deorum Dearumq; monſtra. Conferri posſunt cum his, qvæ dicta ſunt, præſertim Auguſtinus de Civ. Dei. lib. IV. cap. 10. & lib. VI. cap. 9. Arnobius, adverſ. Gentes, lib. III. & IV. alii, qvos vid. in inferiori Notis ad num. 15. & ſeqq. Ac tantum qvidem etiam de *Ethnicismo ſive Gentiliſmo.*

SECTIO

SECTIO III.

De

CHRISTIANISMO

§. 25. Chriſtianiſmi ac Chriſtianorum ſeqvitur blandulum Nomen. Fiunt verò Chriſtiani nunc (à Chriſto Salvatore mundi,tanqvam authore primo, qvi nomen habent, exortô hoc primùm Antiochiæ,teſte Lucâ in Act. cap. XI. com. 26.) è Judæis oriundi porrò, maximè verò Ethnicis,qvovis tempore usq; huc,ad fidem Dei veri,Creatoris cœli & terræ nec non JESU CHRISTI, DEI & Mariæ filii,converſi ipſi,qvibusq; Biblia S.ſ.Scriptura S.utriusq; Teſtamenti pro principio Religionis ſuæ eſt) Unam ex Qvinq; juxta computum ſuperiorem,Orbis univerſi terrarum (olim totum fere) ex colunt hodiè partem. Europam præſertim, ac totam fere eandem: etiam in hac Britanniam magnam, Hiberniam,Norvvegiam, Sveciam, Daniam,Pruſſiam,Livoniam,Ruſſiam ſ. Muſcoviam: & ex parte Lithvaniam, Samojetiam, Tartariam Europæam, Græciam ſ. Macedoniam,inſulasqve vicinas: exceptis pauciſſimis locis, iis nempe, qvi ſunt ſub circulo Arctico,aliis: porrò Aſiæ partem item excolunt hodie Chriſtiani Armenii,Syri,Maronitæ: qvanqvam & ſparſim prætereaqve habitent non pauci horum ſub Turcâ, Tartarô, Perſâ: Africæ partem prætereà Abiſſini,Coptitæ,item,in Dangali in ſpecie,Congo Barbariæqve regnis, qvi reperiuntur: tandem in Americæ regionibus, (ad qvas qvidẽ per navigia hodie ventum eſt) in Braſilia, Peruvia, Gviana, Florida, Virginia, Hiſpania Galliaqve novis, inſulisqve adjacentibus Cubâ, Hiſpaniolâ,Jamaica &c. Chriſtianos tandem qvoqve reperiri ex Gallis, Hiſpanis, Anglis, Batavis, aliis admixtos gentilibus barbarisqve, qvis eſt,qvi neſcit. (π)

§. 26. Cœterum nunc viciſſim, Genera ſ. ſectæ (ut ſic

ſic loqvar) Chriſtianorum potiſſimæ ac præcipuæ hæ ſunt fere hodie VII. 1. Chriſtiani γνήσιοι veteresqve, ſub initium primitivæ Eccleſiæ N. Inſtrumenti 2. Ariani & Photiniani, (vetuſtiſſima facilè ſecta inter ſex cum ſeqq) 3. Latini ſive Pontificii. 4. Græci, hodierni maximè. 5. Evangelici ſ. Lutherani, vel Auguſtanæ Confesſionis ſocii. 6. Reformati ſ. Zvvinglio-Calviniani, & deniqve 7. Fanatici.

§. 27. I *Chriſtiani γνήσιοι* (cæteris ſcil. paribus) *veteresq;* igitur ſunt, ſub initium qvi primitivæ Eccleſiæ N. Inſtrumenti & in primis aliqvot ſeculis vixerunt maximè, Eccleſiâ dum plantanda adhuc erat. Qvorum qvænam doctrina atq; Confesſio fuerit, ex ipſis Novi Inſtrumenti libris nec non Symbolis œcumenicis extantioribus dijudicare proclive eſt.

§. 28. II. *Ariani & Photiniani*, hodieqve etiam Sociniani, Arium & complices ejus ſectæ ſuæ nec non hæreſeos agnoſcunt autorem. Fuit autem Arius, natione Afer, profesſione bresbyter Alexandrinus: vixitqve ac virus ſuum ſpargere cœpit circiter anno Chriſtiano CCCXV. qvod longè lateqve mox Orientem itemqve Occidentem infecit. Photinus, Galata, epiſcopus Sirmienſis hunc ſecutus eſt anno circiter CCCL. Hos demum ſuperioribus temporibus ab anno M. D. circiter Michael Servetus, Hiſpanus, præſertim verò uterq; Lælius & Fauſtus, Socini, Itali, aliiqve longè plurimi in Tranſylvania maximè, Poloniâ, immò Germania noſtrâ, Enjedinus, Moſcorovius, Goslavius, Oſtorodus, Smalcius, alii. Negant autem Arianicum complicibus ſuperius notatis atq; impugnant præſertim SS. Trinitatem, Divinitatem Mesſiæ, ejusdem Satisfactionem. adeoqve fundamentales invertunt plerosqve Fidei Chriſtianæ articulos, de DEo & SS. Trinitate, et dictum modo, de perſonâ & officio Mesſiæ, JEſu Chriſti,

juſti-

juſtificatione noſtra, alios item, de Scriptura Sacra, peccato originis & actuali, libero arbitrio, Sacramentis, utroqve & Baptiſmo & S. Cœna &c. Videndi præ reliqvis horum ſcriptis (ex qvibus, qvæ qvid. horum ſit, hodie præſertim religio, potius hæreſis, diſpaleſcit) Catecheſis Racovienſis uterqve & minor & major, Oſtorodi Inſtitutiones, Smalcii aliorumqve tractatus & libelli varii.

§. 29. III. *Latini ſ. Pontificii* ſuccedunt, qvorum errores prolixum nimis eſſet hic velle recenſere: videndi præ reliqvis, & inſtar omnium, Concilium Tridentinum & ejusdem examen B. Martini Chemnitii, Bellarmini Controverſiarum tomi, Becanus, nec non Jeſuitiſmus Pelargi. Hiſce autem potiſſimum (extra Scholaſticorum turbam, Lombardiſtas, Albertiſtas, Thomiſtas, Scotiſtas, Occamiſtas &c.) diſtingvuntur hodiè fere ordinibus: Benedictini primum (vetuſtiſſimus fermè) Carthuſiani, Carmelitæ, Franciſcani, Dominicani, Auguſtiniani, Capucini, Jeſuitæ. vid. Hoſpinianus, de Ordin. Cler. & monach. Joh. Creccelius de eodem argumento, alii.

§. 30. IV. *Græci*, hodierni maximè, illos excipiunt. Qvorum divortium ab Eccleſia Latina ſ. Romana in diverſis conſiſtit fidei articulis, atqve inter alia maximè in articulo de Chriſto, (qvanq. in qvo variant vicisſim, alii dum orthodoxos, alii, plurimiqve Neſtorium vel Eutycheten ſeqvuntur) in doctrina porrò, de Spir. S. qvi ſecundùm illos tantùm à Patre, haud Filio procedit: De Sacramento Cœnæ, qvod ſub utraqve diſtribuunt: purgatorio, qvod non admittunt; cultu Sanctorum, conjugio Sacerdotum, qvæ omnino probant, & ſimilibus. Excoluntq, hi qvid, non omnes Græciam ſolam, ſed huc referendi ſunt (qvantum ad religionis negotium) etiam Æthiopes ſ. Abisſini, Cophtæ, Maronitæ, Armenii, Syriani, Georgiani

orgiani, Ruſſi ſ. Rutheni, ſimilesqve. Atq; alii horum porro agnoſcunt hodie, caput ſuum tamqvam Patriarcham Conſtantinopolitanum, (neutiqvam aliter, qvod [illegible] ego, Papam Romanum) alii, Æthiopes ſcil. ſ. Abiſſini presbytero, qvem vocant ita vulgò ſ. Preto Johanni parent, atq; hi in ſpecie Baptiſmo utuntur Ignis: Copthæ, qvi & Jacobitæ, circumciduntur etiam, (qvemadmodum etiam Abisſini, & hi qvidem ſexum qvantum utrumqve) non ſpreto interim baptiſmo aqvæ ipsô: Maronitæ Phœniciam, Armenii Armeniam, Suriani Aſſyriam, Georgiani Perſiam Mediam, Tartariam, Rutheni Ruſſiam ſ. Moſchoviam inhabitant. Videndi hac vice Philipp. Nicolai de Regn. Chriſti lib. I. cap. 1. Acta Conſtantinopolitana. Mart. Cruſii Turco-Græcia & Germano-Græcia, Brere-rodus, alii.

§. 31. V. *Evangelici ſ. Lutherani* vel A. C. ſocii præ reliqvis ſeſe nunc exerunt. Horum ſymbolicus liber hodie eſt, prout notisſimum, (qvo in doctrinæ horum orthodoxia comprehenditur) Concordia ſ. Formula Concordiæ ſic dicta: in qva continentur hæc qvid: 1. Symbola tria, ex œcumenicis, Apoſtolicum, Nicenum & Athanaſianum. 2. Auguſtana Confesſio, illa minimè variata ſ. mutata. 3. Ejusdem Apologia. 4. Articuli Smalcaldici. 5. Cathechiſmus uterq; B. Lutheri. 6. Formula Concordiæ in ſpecie ſic dicta, & tandem 7. Catalogus Teſtimoniorum S. Sæ, nec non antiqvitatis circa articulum de perſona & majeſtate JESU Chriſti. Atqve hi qvidem conſentientes inter ſe ſatis aliàs ſunt, niſi fortè in uno alteroqve fidei articulo ſpeciali ſchiſma qvi fecerunt: Hinc nihilominus Evangelici ſunt primùm iterumq; [illegible] ſ. Orthodoxi, hinc Interimiſtæ, Flaciani, Oſiandriſtæ, Majoriſtæ, Huberiani vel potius Tubingenſes, Rathmanniani, Calixtini, Syn-

credibile &c. *Ac de Orthodoxis ſ.* [illegible] Evangelico-Lutheranis, ex parte jam dictum eſt, & qvo in loco vel ubi nam, poſt S. Scripturam doctrina atqve Confesſio horum comprehenſa ſum[illegible]eatur. *Interimiſtæ*, à libello interimiſtico ſ. Interim ſic dicti ſunt: qvi conſcriptus eſt an. Chriſti 1547, juſſu Cæſaris, Caroli V. à tribus tunc temporis deputatis Theologis, Julio Pflugio, Epiſcopo Numburgenſi, Michaele Sidonio, Epiſc. Merſeburgenſi, & Joh. Agricola, Islebio: ut inſtar formulæ eſſet religionis cujusdem interea, donec controverſiæ inter Pontificios & proteſtantes ſubortæ per concilium aliqvod generale componerentur: atqve idem errores papiſticos non paucos ſtatuminabat retinendos. v.gr. de poteſtate Papæ, libero arbitrio, circa peccatorum remisſionem, confesſionem, ſatisfactionem, juſtificationem, bona opera, ſanctorum invocationem & ſimiles plures, Vid. & conf. D. Hutteri Explicat. Libr. Concord. pag. 998. ſeqq. *Flaciani*, à Matthæo Flacio, Illyrico, nomen trahunt ſuum: qvi contendebat inter alia maximè: Peccatum originale propriè (& qvid. nullò poſitò diſcrimine) eſſe ipſisſimam hominis corrupti ſubſtantiam vel eſſentiam. Qvem errorem perſtringit Form. Concord pag. m. 576. *Oſiandriſtæ* ita dicti ſunt ab Andrea Oſiandro, Theologo Regiomontano, cujus errores præcipui ſunt de Verbo DEI, qvod in exterius & interius diſtingvebat, Filio DEI incarnando, licet nemo peccaſſet, juſtificatione noſtrâ, qvæ non fiat imputatione, ſed juſtitia DEI eſſentiali, qvæ DEus ipſe eſt. Vid. Schlusſelburg. in catal. hæret. libr. 6. Luc. Oſiander, filius, Hiſtor. Eccleſ. cent. 16. lib. [illegible] cap. 2 *Majoriſtæ*, D. Georgium Majorem anteſignanum habent: qvi Bona Opera ad ſalutem omnino neceſſaria contendebat, & c. *Hasſiaci*, vel potius *Wurtenbergenſes* et *Tubingenſes* [illegible] qvorum nota controverſia, [illegible]

 ſupe-

ſuperioribus annis circa articulum de Omnipræſentia carnis Chriſti [illegible] qvæſitum: an Chriſtus ſecundum humanam naturam, ratione communicationis majeſtatis creaturis adfuerit (in ſtatu qvid. Exananitionis) per nudam tantum adeſſentiam, an verò per omnipræſentiam cum operatione conjunctam? *Rathmanniani* M. Hermannum Rathmannum, Eccleſiaſten Dantiſcanum, una cum aliis qvibusdam complicibus, Movio &c. autorem agnoſcunt. Hic anno ſuper. 1621. veſtigiis Svvenkfeldii lectis interpolatisqve Scripturæ S. ſeu verbo DEI (ſcripto, lecto, prædicato) omnem omninò detrahebat efficaciam, pro nudo habitum idem ſigno externo ſignificativoqve in converſione hominis. *Calixti* porrò atqve Calixtinorum nævi rectiùs hodiè apud illum ipſum nec non noſtrates Theologos videantur. *Syncretiſtæ* deniqve audiunt, qvi fraternitate gaudent hodiè concilianda inter partium jura, ut ſic loqvar, diverſa inter Chriſtianos.

§. 32. VI. *Reformati, ſ. Zvvinglio-Calviniani* ſe[illegible]dò produnt. Hi qvidem juxta majus & minus, qvod dicitur, craſſisſimè alii, crasſiq, craſsè & crasſiusculè alii, omnes tamen errant circa articulos fidei Chriſtianæ fundamentales, præſertim de prædeſtinatione, perſonâ Servatoris noſtri JESU Chriſti, de Sacra Cœna, alios. Videndi hac vice, in qvibus circiter doctrina horum continetur, atqve Confeſſio, Calvini Inſtitutiones, Orthodoxus, qvem ſic vocant, Conſenſus, Urſini Catecheſis, Loci communes Bucani, Petri Martyris, Polanus, Sohnius, Perkinſius, Chamier, Collatio Hagienſis, Acta Synodi Dordracenę, Acta, Confeſſio & Apologia Remonſtrantium, alia horum ſcripta. Ac qvondam alii horum fuerè (pauciſſimis) Caroloſtadiani, Zvvingliani, Oecolampadiani, Calviniani, Philippiſtæ, hodiè alii Armeniani ſ. Remonſtrantes, Gomariſtæ ſ.

Supra-

Supra-lapſarii, Dordraceni ſ. Infra-lapſarii, Amyraldiſtæ ſ. Hypothetici &c.

§. XXXIII. *Fanatici* demum agmen claudunt inter Chriſtianos (ſi qvidem hi as nomine hoc digni ſunt) ad qvos qvidem referimus enthuſiaſtici qvicqvid eſt ſeu generis ſeu ſpiritus: qvales ſunt ex. gr. Anabaptiſtæ, Paracelſiſtæ, Muntzeriani, David Georgiani, Mennoniſtæ, Svvenkfeldiani, Stifeliani, Methiani, Weigeliani, Fratres Roſeę crucis, ſimilesq; farina ſectarii. Qvorum nihil attinet h.l. atroces ſpurciſſimosq;, recenſere errores in ſingulis propè fidei articulis fundamentalibus. Videndi præ reliqvis Theophraſti Paracelſi, Svvenkfeldii, Weigelii, Fraternitatis roſeæ crucis ſcripta, Offenbahrung Göttlicher Majeſtät &c. Item ex noſtris Catalogus Hæreticorum Schluſſelburgii, D. Nicol. Hunnii, Weberi, Thummii, Schelhammeri, Himmelii ſcripta, contra Theolog. fanaticam &c. Atqve hactenus etiam de Chriſtianiſmo, Chriſtianorumq; & orthodoxia & ſectariis hæreticisq;.

SECTIO IV.
De
MOHAMMEDISMO.

§. 34. Mohammedani reſtant: à Mohamedo Abnabdilla cognomine, nomen qvi habent: qvo de impoſtore maximo alibi. Atqve hi ex ſuperioribus tribus Religionum ſeu generibus ſummis ſ. ſpeciebus, Judaiſmo, Ethnicismo, & ex parte Chriſtianiſmo enati poſtremùm ſunt. Et Unam, juxta computum ſuperiorem, Orbis habitati usqve huc, etiam tenent partem. In Europa nempè Græciam, in Aſia Natoliam ſ. Aſiam minorem, unà cum finitimis regionibus, Arabiam porrò, Perſiam qvoqve, Indiarum Tartariæq; Aſiaticæ partem (Perſas qvippe & i-

pſos, ita etiam ex parte Indos Tartarosqve Aſiaticos Mohammedanos eſſe certum eſt) in Africa deniqve Ægyptum & Mauritaniam ſ. Barbariam obtinent. Religionem (qvæ una fere, fere dico, ipſis eſt, non diverſa omnino: diverſa tamen utcunq; uti mox dicetur) vi magis, qvam doctrina vel inſtitutione, aut fide & ſpiritu propagant, nec controvertere illam cuiqvam licet. Cæterùm, ſpretis Bibliis SS. noſtris, pro principio Religionis ſuæ omnibus his eſt Alcoranus ſive Coranus (vide infra paulò notas noſtras) monſtroſus & blaſphemus Liber, Chaos qvoddam confuſum, תהו ובהו, errorum & nugarum ex Judaiſmo, Paganiſmo, (ut ſuprà & ex parte jam dictum) nec non partem Chriſtianiſmo ſive potius Chriſtianæ religionis principio ipſo, Scripturâ S. ſc. à Muhammede, Impoſtore maximo conſarcinatum. Ac certum qvidem eſt, non Saracenos tantùm ſive Turcas, ſed Perſas etiam atqve Indorum Mohammedanos Tartarorumq; Aſiaticorum nonnullos, Coranum ſ. Alcoranum pro principio religionis ſuæ agnoſcere. Enimvero nihilominus cùm obſcuriſſimus hic liber ſit, ſive fato, qvod probabilius, ſive de ſtudio, Interpretes alii alios diverſiſſimiq; generis planè ſeqvuntur. Immò contendunt Perſæ, ex errore Archangeli Gabrielis Coranum in manus Muhammedis perveniſſe, qvi reverà Aali ſancto ſuo atq; patronò adjudicatus divinitùs. Cæterùm, ut alteremodò volebam, Interpretes hic Alcorani ſui diverſi aliud alii; ſeqvuntur, Turcæ qvippe Hanifam qvendam, Soſianiſtæ Perſæ Aali & Tzafer-ſaduk, Hembeli & Melchi Indi, Schafei Tartari Usbecenſes. Aliter unde fieri non poteſt, niſi qvod diverſitas qvædam vel diſſenſus in religione nihilominus ſit. Qvem augent magis magisqve Sancti atq; Patroni ſ. Antiſtites (& Dii qvaſi tutelares ſingulo-

gulo-

gionum. Qvippe Turcæ Mahummedem præſertim, itemqve Abubeker, Omar & Osman, illius, Mohammedis, qvondam ſocerum & ſucceſſores de facto, ut loqvimur, venerantur. Perſæ verò (cum qvibus & faciunt hac in parte Indorum Mohammediſtæ) Aali qvi & Haider ipſis, Patruelem & generum illius ac ſucceſſorem de jure & ex teſtato, ut loqvuntur, itemq; filios Haſſan & Hoſſein, horumq; filios viciſſim, nominatim atq; numero XII. reverentur. Qvin imò, ut ſupra ex parte jam dictum, Aali fere Mohammedo præferunt: de qvo adſerunt: Aali non qvidem eſſe Deum ipſummet, certè tamen ſimilem Deo eidemq; proximum, utpote ejus qvi tanqvam præfectus & adjutor ſit. Cui, nec non filiis Haſſan & Hoſſein, feſtos qvoqve celebrant dies, Mohammedi nullum, Deo Servatori noſtro atq; Sanctis ejus utriq; & Turcæ & Sofiani ſ. Perſæ, & Indorum Mohammediſtæ nullum, nullum prorſus. Miſeri homines omnes, ſinguli, (Ethnici & ipſi reverà ac verbo) qvi non Deum, ſed mortales, qvosq; norunt tales, fonte neglectò Divinitatis ipsò, cultu proſeqvuntur divino(ę). Atq; hactenus de Religionum Orbis terrarum varietate.

SECTIO V.

Qvod una ſola Religio Chriſtiana, & præſertim Evangelica ſit vera.

§. 35. Nunc, inter haſce Religionum diverſisſimarum ſive ſpecies ſ. genera, una atqve ſola vera eſt, poſt Judaiſmum primam veteremq; Chriſtiana, atq; in ſpecie viciſſim Evangelica ſ. Lutherana, qvam vocant. Id qvod

vel

patet,(brevisſimis ſanè ut me abſolvam)ex ratione vel habitudine: I. Principii 2. Objecti. 3. Medii. *1 Principium* enim hæc habet unum, verum, certum atqve immotum, adde divinum; nimirum Verbum Dei ipſius revelatum ſcriptumq; Scripturam S.Vet. Noviq; qvod vocant, Inſtrumenti,vel qvod idem eſt,innititur hæc Dei ipſius Verbo revelato,adde ſcriptoq;; Reliqvæ tres, vel Judæi ſpurii & infideles, Ethnici nec non Mohammediſtæ partim varium habent & multiplex, falſum, incertum atqve dubium,partim humanum,novum, qvin abſurdum: qvalia ſunt iterùm Scriptura S.qvidem,ſed in ſenſum diſtorta falſum,Talmud Judaicum,Luminis Naturæ & Rationis abuſus nec non Coranus Mohammedicus. *2. Objectum* habet hæc verum competensq; ſibi, Deum nempe verum, Creatorem cœli & terræ, unum atq; trinum, Patrem, Verbum atq; Spiritum S. nec non Mediatorem, inter hunc & homines, Jeſum Chriſtum, Dei & Mariæ filium, atteſtante Scripturâ S.Cæteræ omnes partim diverſum & multiplex,contrarium,falſum,mutilum,abſurdum. *3. Medium* ſ. *Mediatorem* hæc qvoq; oſtendit habetq; verum inter Deum & homines, ut ex parte jam dictum, Deum-Hominem nempe iterùm,Jeſum Chriſtum, Dei & Mariæ filium,in gratiam & ſalutem generis humani à Deo averſi miſerè deperditiq;,conceptum,natum,exinanitum,paſſum,mortuum,reſuſcitatum,exaltatum,glorificatum, atteſtante viciſſim Scripturâ S. Qvem Judæi neqviter rejiciunt & blaſphemant,Ethnici miſerè ignorant,Mohammedani turpiter negligunt, poſthabent, immò in mendaciis [illegible] loqvuntur [illegible]. Tantundem,vel certè ex parte, de Chriſtianorum reliqvis factionibus ſ. ſectis judicandum.

SECTIO

SECTIO VI.

Qvàm anguſtis Religio verè Chriſtiana coër- ceatur hodiè terminis.

§. 36. Ex qvibus poſtremum, ipſis, omnibus atqve ſingulis palàm fit oppido (extrà qvod aliàs Os veritatis Servator ipſe nuper Lucæ XII. comm 32. & cap. XIII. com. 23. ſeqq. expreſſè idem adſerat) qvàm ſit verè parvus Grex verè Chriſtianorum ſ. Religioſorum verè talium. Qvod hunc in modum porrò atq; inſuper, & qvaſi de ſuperfluo, graphicè, ni fallor, poterat demonſtrari. Deme ſis enim ac tolle, tute, qvisqvis es bone, primum ſectarios ſupra notatos: Arianos ſ. Photinianos, Pontificios, Græcos ipſos modernos, Reformatos, qvi ſic ſe vocant, Fanaticos deniqve qvoscunq; ; deme porrò & tolle adhæc eos, qvi confeſſione, nomine verius, tantùm tales ſunt, pſeudo-Chriſtianos nempe, hypocritas, atheos ipſos: Me Deus! qvàm puſillus fiet Cœtus hic grexq; Chriſtianorum vel Religioſorum verè talium. Altiùs aliqvàm examinare rem omnem ac penſitare, brevisſimis licet, liceatq; mihi. Rectisſimè qvidem Propheta in Vet. Inſtrumento: *Juſtus ſua fide vivet.* Habbac. II, 4. nec non Apoſtolus in Novo: *Parati eſtote ad reſpondendum cuilibet petenti rationem ſpei ejus, qvæ in vobis eſt.* 1. Petr. III, 15. Hæc igitur ſi vera ſunt, ut ſunt verisſima: vivet qvisqvis fide ſuâ, non alienâ, & paratus eſſe debet omninò qvilibet ad reſpondendum cuivis petenti rationem ſpei ejus, qvæ in ipſo eſt. Jam, luſtrabimus, qvæſumus, Orbem, non hujus Univerſi vel terrarum, ut antè & hactenus, ſed Chriſtianum ſaltem, vel potius Evangelicorum verè talium, h.e. verbo, Lutheranum cœtum. Dividamusq; illum porrò in ſexum geminum, maſculum & leqviorem vel fœmininum. Nunc qvota-

qvæſo-qvæq; hujus ſexus ſeqvioris pars fuerit, qvæ rité tenuerit & ſufficienter, nedum expreſſerit vitâ & factis, ut par omninò opusqve erat, Fidei Chriſtianæ Capita illa, (utiq; neceſſaria ad ſalutem, extra controverſiam) prout in catecheſi vel minori vel majori B.Lutheri, inſit illis noſtro Libro Symbolico, Form. Concordiæ, extant: vel ſaltem tria (ut reperiuntur ibidem ſub initium ejus) Symbola Catholica, Apoſtolicum nempe, Nicenum atq; Athanaſianum; qvod & (poſtremum,) incipit interim & explicit tamen: Qvicunq; vult ſalvus fieri, ante omnia opus eſt, ut teneat fidem catholicam, qvam niſi qvisq; integram involutamq; ſervaverit, absq; dubio in æternum peribit. & ſub finem ejus: hæc eſt fides Catholica, qvam niſi qvisq; fideliter firmiterq; crediderit, ſalvus eſſe non poterit. Porrò dividamus iterùm ſexum qvoqve maſculinum in Clerum nec non Laicos, ut vulgò loqvuntur, vel Cœtus binos ipſos, Eccleſiaſticum & Politicum. Politicum verò vicisſim in Ordinem Literatorum & illiteratorum. Age nunc, tolle & ſegrega, mi bone, qvisqvis es, rurſus à Literatorum cenſu illiteratos omnes ac ſingulos, agricolas ſ. ruſticorum gentem, turbam operariorum & mercenariorum, mechanicos & artifices qvoscunq;, adde mercatores, qvin nobilium & ignobilium omne genus, aulicos, curiales, ſcribas, milites, ſatellites, liberos & ſervos &c. Jam qværamus ex illis, an vel ſaltim Symbola iterùm illa tria, aut Catecheſeos Chriſtianæ ſuprà notata capita neceſſaria B.Lutheri (nedum minima pars horum, centeſima vel milleſima August. Confesſionis viginti & unius articulos) teneant qvantum notitiam fidei, ac rectè teneant qvidem, vel ſaltem mediocriter, & exprimant etiam? in qvibus tamen absq; dubio Cardo vertitur omnis Societatis Evangelicæ ſ. Lutheranorum, ut vocantur vulgò, [illegible]

In

ſim addere hoc loco Catecheſin vel compendium qvoddam uberius Haffenrefferi, verb. gr. Dieterici, Hutteri, vel alterius cujusdam: vel (notanter addo) Hunnii (Nicolai) Credenda qvæ vocant, qvibus tandem nihilominus fecit Theologorum Exemplar: Kurtzer Inhalt deſſen/ was ein Chriſt von Göttlich- und Geiſtlichen Dingen zu wiſſen und glauben bedürfftig. Confer omninò, ſi placet, & lege ejusdem Autoris Διάσκεψιν de fundamentali diſſenſu doctrinæ Evangelicæ-Lutheranæ & Calvinianæ ſ. Reformatæ, & obſtupeſces, qvanta nimirum & qvalis Fidei Catenæ ſit amplitudo, longitudo ac latitudo. At verò jam, qvid de illiteratis loqvor? an ex Literatorum cenſu credas, hanc ſibi comparaſſe omnes ac ſingulos Fidem & religionem, (qvantum notitiam, aſſenſum & fiduciam) ut legerint teneantq;, vel mediocriter (poſt capita Catecheſeωs B. Lutheri illa primaria) Auguſtanæ Confesſionis ſuprà notatos articulos XX. & unum, ut nihil de adjectis VII. abuſibus dicam: qvos certè non legiſſe, addo familiares reddidiſſe ſibi, poſt tot Scriptores profanos, Græcos, Latinos, Oratores, Poëtas, hiſtoricos, philologos, philoſophos, medicos, juriſperitos, pudeat certè, pudeat inqvam, Literatum, qvi ſic ſe vocari velit, præſertim Chriſtianum, eundemqve ut vult audire Auguſtanæ Confeſſ. ſocium. Tantundem affirmaverim, atq; ſupinæ ejus, audacter loqvor, accuſaverim ego negligentiæ multos de Clero etiam, vel in ſtatu Eccleſiaſtico qvi verſantur, ludimagiſtros, paſtores in pagis, imò alios fortè non rarò, qvi, qvod debebant omninò, Libri Eccleſiarum noſtrarum γνησίως Lutheranarum Symbolici, Concordiæ, ſic dictæ, capita, A.C. ejusdem Apologiam, articulos Smalcaldicos, F. C. in ſpecie ſic dictam haud fortè viderunt unqvam, vix legeruntq;, ſive per partes, vel per totum: nedum ut mica in

tenent Controverſiarum earum, qvæ agitantur hodie inter Chriſtianos, vel dicam potiùs Doctores Theologos, profeſſione qvi tales qvidem ſunt: ad qvos qvidem, & Academicos præſertim Doctores ſolos, amandanda videbuntur adeo Religionis ſalvificæ capita, qvæ vel de fide, vel circa fidē ſunt ſalvificam. Cæterum nondum, & nihil qvicqvam dixi adhuc de Pietate, ejusqve exercitio & praxi Chriſtiana. At verò jam nihilominus Juſtus ſua fide vivet, Hab. II. Et, anne igitur hoſce omnes, ſingulos, ut ſuprà demonſtratum, qvos notavimus modò excepimus, verè Evangelico-Lutheranos, ac conſeqventer veros, veros inqvam, cenſebimus Chriſtianos? Me Deus! qvi fidei ſuæ, ſuæ dico notanter repetoq;, rationem ſufficientem reddent? Anne verè tandem, qvæſumus, *Parvus verè hic grex verè Chriſtianorum*, Luc. XII. *nonne pauci ſunt* [illegible] *qvi ſerventur?* ibidem cap. XIII. Verum enim verò ſalva res eſt, atteſtante Servatore ipsô noſtrô & reſpondente (dimiſſo divite) diſcipulis ſuis ibidem loci, qværentibus: *ecqvis igitur ſervari poteſt?* reſpondente, inqvam: *apud hominem hoc impoſſibile eſt, apud DEum verò omnia poſſibilia ſunt:* nec non Jehovâ ipsô, Deô noſtrô, Eliæ Thesbitæ, qvi: *remanſi ego ſolus:* reſpondente: *reſervavi mihi in Iſraele ſeptem millia hominum: omnia genua, qvæ non incurvarunt ſeſe Baali, & omne os qvod non oſculatum eſt ipſum.* At verò tandem, abrumpenda tela eſt. *Domine JESUS, ſerva nos, in veritate tuâ! Verbum tuum Veritas eſt!* Joh. XVII, 17. Serva nos!

Amen.

NOTÆ.

Ad §. I. [illegible] De ſiculo [illegible], veloci [illegible] haud per omnia [illegible], vid. [illegible] Joachim Vegetii Anatolius. [illegible] parte) ſive de regni Turcici Periodo, Hamburgi [illegible] anno [illegible] I. præſertim in Prolegom. pag. m. [illegible] ſeqq. item Scrutinium Religionum [illegible] revvodi Angli. Francoſurti ad Moen. [illegible]

§ [illegible] Samaritani, maximè ob diverſitatem [illegible] rum, in qvatuor ſectas diviſi fuerunt viciſſim, [illegible] nonnullos [illegible] videm: Gorthenos, Se[illegible] os vel Se[illegible] os & Doſithæos: de qvibus, poſterioribus, [illegible] dignum, qvod Sabbathum adeo colebant ſuperſtitiosè, ut qvo in loco, habitu, ſitu qvemlibet ipſorum [illegible] endiſſet, eodem in loco & ſtatu immobilis permaneret, donec [illegible] dictus tranſiret. De Samaritanis, defectione & [illegible] eorundem, aliis, vid. qvoq, Br. Walton, Bibl. polyglott. Tom. I. Proleg XI Hottinger. theſ. philol. lib. I. cap. I. [illegible] pag. m. 4[illegible]. ſeqq.

§. 9. (γ) Naziræorum (נָזִיר ſive [illegible] [illegible] vit, abſtinuit) proprietates atq, notæ externæ inter alias erant, ex. gr. alere comam, adeoq; abſtinere à novaculâ, exemplo Samſonis, Jud. XIII, 5 abſtinere porro à potu omni inebriante, ſicerâ, vino, ac [illegible] vini, [illegible] accedere haudqvaqvam ad cadaver aliqvod, veſtitu [illegible] & piloſis, exemplo Eliæ & Johannis Baptiſtæ. 2. Reg. I. 8. Matth. III, 4. Luc. I. 15. &c. De his [illegible] & Rechabitis pluribus [illegible] J. Henr. Hottingerus theſ. phil. lib. 2. cap. I. ſect. 5. num. [illegible] I. & 2. pag. m. 23.

§ [illegible] roſelytus ratione etymi idem eſt, qvod *advena peregrinus* [illegible] & [illegible] *venio* paſſ. præt. [illegible] [illegible] Erantq. duplices: [illegible] צֶדֶק Proſelyti [illegible], qvi ſcilicet religionis cauſâ, nullâ ſpe præ-

mii,

mii,lucri,aut alia de cauſâ , fiebant Judæi . circumciſi hi
qvidem. 2. גרי הישב Proſelyti *inqvilini*, qvibus habitatio
concedebatur inter Judæos: non circumciſi qvidem, ſed
abſtinentes interim à gentiliſmo priſtino. De qvibus vi-
dendus Buxtorf. in Lex. Talm. Rabinic. ſuprà cit. loc. Ad-
dunt alii Proſelytos שכירים *mercenarios*, qvi artis me-
chanicæ exercendæ ergò inter Judæos habitabant tolera-
banturq́; adducta in hanc rem locô, Exod. XII comm. 44
& 45. Circumciſus edet de Paſchate: Inqvilinus aut
mercenarius ne veſcitor illô. vid. & Hottinger theſ. phi-
lol. pag. m. 17. ſeqq. Leusd. Jon. illuſtr. p. 104. ſeq.

§. 11. (s) De Sectis, ante & circa Chriſti tempora, di-
verſis Judæorum, præſertim tribus dictis , Phariſæorum,
Sadducæorum & Eſſæorum, plura qvi vult legere, vid. ipſi
Nic. Serarius in Trihæreſio & Minervali, Joſ. Scaligeri E-
lenchus trihæreſii Serarii, Druſius de tribus ſectis Ju-
dæorum, Car. Sigonius, de Republ. Ebræor. lib. V. c. [illegible] Sixt.
Senenſ. Bibl. S. lib. II. titul. Traditiones Sen. p. m. 147. ſeqq.
Chemnit. Harmon. Evang. lib. I. cap. 16. pag. m. 217. ſeqq.
Oſiander harm. evangel. cap. XV. Hottinger. theſ. phil. lib.
I. cap. 1. ſect. 5. memb. 4. ſeqq. pag. m. 25. ſeqq. Eberi Hiſtoria
populi Judaici, Molleri Judaiſmi. proleg VIII. pag. [illegible] ſeqq.
Cunæus de Republ. Ebr. lib. II. cap. 17. p. m. 254. Cæterùm,
præter ſuprà dictum ternarium numerum alii faciunt ad-
huc IV, alii VII. VIII XI. immò XXVIII. ſectas. Vid. ſuprà
laud. Dn. D. Mollerus Judai. cit. loc. Ac tritus aliis qvid. ſa-
tis eſt numerus ſeptenarius, videlicet: *Scribæ* legis & tra-
ditionum magiſtri: *Phariſæi*, ſanctitatis vel potiùs hy-
pocriſeos. *Sadducæi*, juſtitiæ (ut volunt) ſtudioſi. *Eſſæi*,
vitæ ſolitariæ amantes (qvibusdam ſucceſſores Rechabæo-
rum) & veluti monachi Judæorum. *Hemerobaptiſtæ*, ce-
remoniarum magiſtri: *Naſichæi*, qvi & Deſtructores [illegible]
Mor-

Mortificatores appellantur carnium oſores; denique *Herodiani*, qui Herodem regem, Antipatri Idumæi filium habebant pro Meſſia. Phariſæi (פרושים à פרש ita dicti, quod ſe מדרך העולם à moribus hujus mundi ſepararent) rurſus habebant Ordines quaſi ſeptem, hoc ordine: פרוש שכמי *Phariſæus Schemita*, locelli & gloriolæ cujusdam cauſâ: vid. Genel. cap. XXXIV. פרוש נקפי. *Phariſæus impingens*, ſcil. pedes ſuos, nimiæ ſanctitatis in ſpeciem. פרוש קיזאי *venam ſecans*, i.e. oculis clauſis quodammodò, frontem ad parietes alliſam qui reddit cruentam, omnem adverſatus mundanum adſpectum. פרוש מדוכיא *Phariſæus depreſſus*, incurvato capite & corpore. מה חובתי ואעשנה *quodnam eſt debitum meum amplius, & faciam illud* de ſuperſtitioq. (Opus ſupererogationis ſc. hodiè, aut veriùs ſupereructationis.) פרוש מאהבה *Phariſæus ex amore*, præmii cujusdem, è Lege Moſaica. פרוש מיראה *ex timore*, pœnarum, ejusdem Legis. Confer Buxtorf. ſuprà cit. l. rad. פרש pag. 1852. Hottinger. theſ. philologi. ſuprà cit. l. pag. 28. alios. Extantiora præ cæteris eorundem dogmata erant: παραδόσεις, traditionum prærogativa, μετεμψύχωσις, transanimatio, piorum quidem: [illegible]. vid. & conf. Matth. XV, 3. ſeqq. Marc. VII, 1. ſeqq. ſimilia. Sadducæorum à *Zadok*, primò hujus Sectæ autore ita dicti, non à צדק *juſtitia* placita præprimis deteſtanda erant: negata Providentia divina, exiſtentia angelorum, animæ immortalitas, reſurrectio mortuorum, vita æterna. conf. Matth. XXII, 23. Actor. XXIII, 8. Eſſæorum tandem & nomen & origo nec non doctrina obſcura utcunque ſint, fatemur. Conf intereà Joſephum ſuprà cit. ll. Serarium, I. Scalig. Drus. Hotting. &c. cit. ll.

§ 12. 13. De recentioribus Karræis (קראי plur. קראים à קרא *legit &c.*) nobis hic ſermo maximè eſt. Diſtingvi

qvi enim rectè poſſunt iterum & ipſi in veteres & recentiores. Riſum, cum Petro Cunæo, de Republ. Ebræorum lib. III. cap. 8. pag. m. 476. ſeq. movere alicui fortè id poterat, qvod ſcribitur defecta hac: qvod, cùm Legem ſcriptam exactisſimè obſervant, nec ab hac vel latum ungvem qvidem diſcedant, cogantur puerperæ eorundem, vel potius fœmellíperæ, non ſex, ut reliqvæ mulieres Judaicæ, ſed per integras XII. ſeptimanas domi ſe continere; unde cæteris Judæis adeò etiam exoſæ ſunt, ut pater aliqvis, non niſi cum ſummâ dote, generum ſibi acqvirere posſit.

§. 13. (η) De Cabbaliſtis & Cabbala vid. Picus Mirandulanus, Petr. Galatinus de art. Cath. ver. lib. 1. c. 6. Reuchlinus de Cabbala & Verbo mirif. Sixt. Senenſ. lib. III. alii. Buxtorfius, Schickardus, Waltherus, Glasſius, Mollerus, Leusden, &c. Qvibus, ſi placet, addatur Diſſertatio noſtra, de Cabbala.

§. 14. (θ) Confer & vide, ſi placet, Buxtorf. Lex. Talm. Rab. iterum radic. רעי. Add. Hottinger. p. 20. ſeqq.

§. 15. & ſeqq. (ι) Conf. in hanc rem de *Gentiliſmo & Diis Gentilium &c.* Auguſtin. de Civ. Dei lib. IV. & VI. Arnobius advérſ. Gentes. lib. III. & IV. Morn. de Ver. Rel. Chr. c. 22. & 23. Giraldus in Syntagm. de Diis gentium, Natal. Comitis mytolog. Gerh. Joh. Vosſius, de Theol. gent. lib. 1. c. 4. Joh. Seldenus de DIs Syris, Elias Schedius de DIs german. Hottinger. theſ. phil. lib. 1. cap. 1. ſect. 8. pag. m. 54. ſeqq. H. Grotius, de Ver. Rel. Chr. lib. 4. pag. m. 138. ſeqq. &c.

§. 16. (κ) Cl. Olearius pasſim, v. gr. pag. 109. ſeq. 163. 176. 343. ſeqq. 385. 743. ſeqq. alibi.

§. 17. (λ) Conf. & vid. Cæl. Rhodiginus, lect. antiq. lib. XXII. cap. 7. p. m. 844. B. Chemnitius in Exam. Concil. Trident. part. IV. loc. de Imagin. & uſu imag. apud ethnicos p. m. 21. ſeqq. Selden. Synt. de DIs Syr. in prolegom. alibi.

§. 18.

§. 18. (υ) Certè Græci & Romani qvoq; ſi qvæ vis, ut qvidam loqvitur, grandior, vel qvæcunq; ſive bona ſ. male, aut qvicqvid modo generi humano vel utile vel noxium eſt, coluerunt. Conf. Mornæum de Ver. Rel. Chr. cap. 23. H. Grot. l. IV. pag. m. 139. ſeq. Seldenum de DIs Syris, prolegom. cap. 3. pag. 37. ſeqq.

§. 19. (ν) Deorum gentilium apud priſcos multitudo, varietas nec non nomina diverſa vid. apud ſuprà laudatos autores: qvibus add. iterum Cœl. Rhodiginus ſuper. citat. loco. cap. 2. & 3. p. m. 84. & ſeqq. & lib. XXV. c. 30. p. 983. ſeq. Morn. cap. 22. ſeq. H. Grot. lib. IV. pag. m. 141.

§. 20. (ξ) Quinti Ennii extat Carmen notum, de DIs XII.

Juno, Veſta, Minerva Cereſq; Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Conf. iterum iterumq; Cœl. Rhodigin. ſuprà citat. ll. B. Chemnit. Exam. Concil. Trident. ſuprà citat. l. pag. m. 29. ſeq.

§. 21. (ο) Conf. Joſephus Antiq. Jud. lib. I. Acoſta, ſuprà citat. l. H. Grotius, de Ver. Rel. Chr. lib. IV. §. 5. pag. m. 141. ſeqq. Olearius Itin. lib. II c. 11. p. 124. item, p. 345. &c.

§. 25. (π) Conf. omninò & vide Philipp. Nicolai de Regno Chriſti, lib. I. cap. 1. Franzium de Interpret. Script. S. Orac. XII. pag. m. 181. ſeq. H. Grotium de Ver. Rel. Chriſt. lib. II. §. 18. p. m. 98. ſeqq. Olear. pag. 163. 275. 377. alibi. Notes in ſpecie verò & obiter qvaſi, Ruthenis ſ. Moſcovitis & ipſis pro Principio Religionis ſuæ eſſe Biblia ſ. Scripturam S. ut illius, fœderis: at verò Vetus Inſtrumentum integrum qvidem non admittunt ad uſum ſacrum in templis ſuis, certis de cauſis: qvo de vid. Adam. Olearius p. 276. De reliqvo, ſingulorum Generum Religionum vel Reli-

E gioſo-

gioſorum auctores, originem, nomina, ordines, ſectas, ſchiſmata, dogmata, errores, ſcripta, inculatum, ſimilia, recenſere heic velle nimis prolixum eſſet, imò impoſſibile ferè. Videndi de ſingulis Scriptores idonei, exta[illegible]o-res claſſiciq; ſui.

§. 34. (ρ) Mohammed aliàs etiam aliis nominibus Achmed, Albukaſim & Muſtapha ſalutatur. Porro Sectæ Mohammedanorum Edovvardo Pokokio, in notis ad Abul Farajum numerantur LXXIII: qvæ tanti tamen momenti non videntur eſſe, qvò minus ad duas hodie, Turcarum & Perſarum ſcil. reduci poſſint. Notes item: certum eſſe, qvod Mohammedani utriq; Biblia noſtra & Scripturam S. pro Verbo Dei agnoſcant qvidem: ipſe Mohammed etiam in Alcorano ſuo provocet ad hanc: at verò tradunt à Judæis & hæreticis corruptam eſſe, unde novatione qvadam opus fuerit, in illius locum ſubſtituto, divinitus è cœlo dimiſſo, Alcorano: qvi adeò multis paraſangis Scripturam S. poſt ſe relinqvat. De Turcis in ſpecie & hoc notes; præter Alcoranum (قُرْآن â قَرَأ *legit* [illegible] *legit*, qvaſi dicas מִקְרָא *Lectio, Biblia*) tanqvā principium Religionis ſuæ etiam recipere hoſce (minus ita Perſas) Sunnam (سُنَّة *lex, inſtitutum*, â سَنّ *formavit*, qvaſi dicas voce Judaicà מִשְׁנָה *ſecundaria Lex*) hoc eſt, Traditiones non ſcriptas Mohammedis, qvarum plus qvàm IↃCCCXL. recenſent. Tandem *Conſenſus atq; Diſſenſus amborum* notetur paucis ad hoc. Religio una fere, fere dixi, eſt & Turcis & Perſis. 1. Principium enim Religionis unum, Alcoranum nempe, agnoſcunt, poſtpoſita Scripturâ S. 2. Agnoſcunt utriq; Pontificem qvaſi ſ. Antiſtitem ſummum qvendam in ſacris, qvi

Tur-

Turcis Mufti, Perſis Sedder ſalutatur. 3. Religioſos non minus ſ. monachos ſuos habent. 4. Circumciſionem utrinqve retinent. 5, Diem Veneris feriantur. 6. Jejunia magni æſtimant. 7. à Vino & carnibus, in ſpecie porcinis, abſtinere debent. 8. Antichriſtum præſtolantur. 9. Inſtituere Peregrinationes & ſepulchra Sanctorum inviſere. ſolenne, ipſis eſt. 10. Polygamia ſimultanea ipſis in uſu eſt 11. ita Divortia. Tandem 12. Campanas & Typographiam averſantur. *Diſſentiunt* vero *inter ſeſe*: 1. Turcæ enim pro Principio Religionis ſuæ etiam Sunnam agnoſcunt, ut ſuprà dictum, Perſæ minus. 2. De Caliſatu ſive Antiſtitio acerrimè inter ſe conflictantur: hoc eſt: an Abubeker, Omar & Odſmam (ita Turcæ) an verò Aali (Perſæ) legitimus fuerit ſucceſſor Muhammedis? Confer & ſuprà dicta. 3. Perſæ præterea & qvendam Sofi (unde & Sofiani hodie adhuc audiunt) vel additò cognomine Schich Sofi venerantur. 4. Interpretes Alcorani ſeqvuntur diverſos, ut & ſuprà jam dictum. 5. Feſtis in diebus ipſis diverſitas eſt. 6. Ita in Precibus. 7. tandem in Ceremoniis perplurimis. *Super pondium*: De Mohammede, Alcorano, ſimilibus inter alia, Vid. Gregor. Abulfarajus, Specim. Hiſt. Arab. ab Edward. Pokokio edit. Georg. Elmacini Hiſt. Saracenica, Roderici Ximenetz, Archiepiſ. Toler. Hiſtor. Arab. Joh. Leuenklavv. Hiſtor. Muſelmann. Cl. Gentius in notis ad Roſar. paſſim, præſertim verò etiam Adam. Olearius Itin. Perſ. pag. 435. ſeqq. 4[illegible]. ſeqq 460. ſeq. 483. 552. 578. præſertim vero p. 675. 676. 677. ſeqq. 679 ſeq. 680. ſeqq. alibi. Add. H. Grot. de Ver. Rel. Chr. lib. 6. Hotting. Theſ. phil. lib. 1. cap. 1. ſect. 9. pag. m. 59. ſeqq.

§. 35. (σ) Argumentum hoc, de veritate nempe Religionis Chriſtianæ, qvod hæc una atqve ſola vera ſit, tractatum ſuſius ac copioſè vide ſis apud alios, Gregor. de Valentia, Oper. Tom. III. diſp. 1. Ludovicum Vivem, de verit. fidei, Mornæum, de Veritat. Relig. Chriſt. Boetium, de religione. Flacium, Clav. Part. 2. tract. 7. Hunnium, in libr. de Majeſtate Script. S. Philipp. Nicolai de Regno Chriſti, lib. I. Grotium hodie, præſert. lib. 2. adde ex parte Schröderum de principiis theol. Dietericum in l. de Script. S. &c. Scilicet, ut & hoc ſaltem ſuperpondi qvaſi loco adhuc addam; ſicuti DEUS eſt, non niſi unus: ita unica tantum vera qvoqve eſt eum colendi ratio ſ. Religio. Et hæc non ex ingenio humano, commentisqve ſimilibus, ſed ex ipſius voluntate & verbo præſcripto peti debet. Ille enim & qvis ſit ipſe, & qvomodo coli velit aut debeat, ſolus ſcit, & nos docere poteſt. Qvis autem eſt verus DEus? niſi, ipsô atteſtante in verbo ſuo, Ille Creator cœli & terræ, unus atqve trinus, Pater, Verbum vel Filius, & Spiritus S. qvi ſe Adamo, primo homini, & poſteris ejus variè patefecit, nosqve à ſe avulſos miſerè deperditosq; gratioſè iterùm per Mediatorem ſibi reconciliavit conjunxitq;. Qvis verò Mediator ille? niſi JESUS Chriſtus, DEUS Homo, DEI & Mariæ filius &c. ut ſuprà jam dictum, atteſtante viciſſim Scriptura S. Qvis deniq; verò verus DEI cultus aut Religio vera? niſi illa, qvæ ad DEum ducit verum, per mediatorem Chriſtum: de qvibus omnibus nos certos reddit non niſi Religio una ſola Chriſtiana: & hoc iterum, entheo qvaſi ſic facto circulo qvodam, mediante Verbo Dei divinitus patefacto nobis in ſalutem noſtram, &c.

VACUI

VACUI FUGA, vel APPENDIX SCRVTINII RELIGIONVM: juxta Orbis Terrarum IV. vulgò hodieq; dinumeratas partes: Aſiam, Africam, Europam & Americam.

EUROPA.

ASia licet veræ Religionis qvondam gaudet gaviſaqve ſit prærogativâ: attamen hodie illi meritoq; Europam præferimus. Ceduntqve in hâc Germania (ſceptro nobilitata hodiernum Imperii S.Romani) Italia, Gallia, Hiſpania, Portugalia, Britannia magna ſive Anglia & Scotia, Hibernia, Dania, Svecia, Norvegia, Bohemia, Hungaria, Polonia, Pruſſia, Helvetia, Belgium ſ. Germania inferior &c. Chriſtianis: adde hisce Ruſſiam ſ. Moſchoviam, Livoniam, Lithvaniam (ex parte) Tranſſylvaniam, Slavoniam, Croatiam, Dalmatiam, cum adjacentibus regionibus, item Tartariam Europæam,

ām, ex parte &c. Græcia maximam partem Mohamedanis. Pars arctoa qvædam, ſcil. Finmarchia, Lapmarchia, Islandia, Grœnlandia, nova Zembla &c. ethnicis.

ASIA.

TArtaria Aſiatica, (magni Chami Imperium) Aſia minor ſive Natolia, Turcicum imperium, Arabia felix & deſerta ſ. petroſa, Perſia, Media, India Orientalis, utraq;, Chinæ regnum ampliſſimum, unà cum adjacentibus Inſulis plurimis maximisq; v. gr. Corea, (Iſthmus aliis) Iapan ſ. Iaponia, Luconia, Borneo, Sumatra, Iava, Zeilan &c. Mohammedanis & gentilibus cedunt. Armenia, Syria ex parte, & pauca alia qvædam loca ſub Turco, Perſa, Indis, &c. Chriſtianis.

AFRICA.

ÆGyptus, Mauritania ſive potius Barbaria, Feſſæ & Marocci regna, Bi-

ledul-

led Igerid ſ. Numidia olim, Gvinea, Tunetanum regnum, Lybia utraq;, exter. & interior, Mohammedanis & Ethnicis vicisſim. Nubia, ex parte, item Abisſina vel Æthiopia Chriſtianis.

AMERICA.

Septentrionalis & Meridionalis ſcil. tota gentilibus: exceptis locis qvibusdam in Braſilia, Peruvia, Gviana, Florida, Virginia, Hiſpania, Gallia, Britanniaqve novis, Inſulisqve adjacentibus Hiſpaniola, Cuba, Iamaica &c. qvæ Chriſtianis hodiè cedunt vicisſim.

Verporum, (*hodiernorum*) qvodcunq; eſt:
qvodq; habet Orbis & Orcus,
Involat ut corvus, qvod ſibi ſervat humus.

Concluditur iterùm iterumq;: Grex verè parvus vere Chriſtianorum.

Domine

Domine, DEVS, ſerva nos in veritate
tuâ! Verbum tuum Veritas eſt. Jo-
hann. XVII, 17. ſerva nos!
Amen.

Digitized by Google